De fundamento, quo nitatur illa temporum latinorum consecutionis doctrina.

Disquisitio,

quam

Consentiente Max. Venerando Cons. Eccles. Lundensi

pro munere Rectoris obtinendo

publice proponit

F. E. BORG

Litteraturæ Arab. Docens, ad Scholam cathedralem Lund. Adjunctus constitutus

Respondente

V. J. G. SUNDÉN

Scano.

In Audit. Minori die XXII Junii MDCCCXL.

Hor. a. m. sol.

P. I.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographus,

MDCCCXL.

Konungens Trotjenare

Capitainen vid Wendes Artilleri-Regemente

Riddaren af Kongl. Svärds-Orden

Välborne

Herr Magister CARL GUSTAF HJERTMAN

egnas denna afhandling

Vördnadsfullt

af

Respondens.

Ex omnibus iis, quæ examini grammatico hæc nostra ætas subjecit, haud scio, an nihil omnino reperiatur, in quo tractando tanta exstiterit sententiarum varietas, quanta in illa temporum latinorum consecutionis doctrina. Cui enim quum omnes grammatici id sunt impertiti, ut, qua ratione tempora enunciationis cujusdam primariæ et subordinatæ continerentur, haberet demonstrandum, cum statuendum fuit, quænam esset enunciatio primaria, quænam subordinata, alii in alias abierunt opiniones. Sic plerique nullas existimarunt enunciationes subordinatas, nisi quæ e cogitatione aut voluntate subjecti enunciationis primariæ penderent, vel saltem eo interno nexu cum illa primaria continerentur, ut ejusdem exprimerent effectum, quare illam de consecutione temporum disciplinam in enunciationes objectivas, finales, effectivas et eas, quæ illuc pertinerent, causales solummodo applicarunt *). At doctissimus ille Becker **) perquàm dilucide demonstravit, eas omnes habendas esse enunciationes subordinatas, in quas transformatæ essent notiones, ad enunciationem quandam pertinentes. Cum vero clarum est, has enunciationes, eandem, ac illas, e quibus profectæ sint, notiones, ad tempus enunciationis primariæ habere relationem, ex hoc ipso fundamentum, quo tota temporum consecutionis disciplina superstrui debeat, nobis sumendum esse videtur. Quod si conceditur, ipse cardo rei in ea vertitur disquisitione, quænam enunciationes talem, qualem diximus, habeant originem. Quàm disquisitionem volumus periclitari, merito metuentes, ne nobis tironibus onus gravius, quam quod sustineant humeri, imposuerimus.

---

*) Conf. Lateinische Grammat auct. Ramshorn. — Schulgram. d. Lat. Sprache Auct. Shulze.

**) Vide Ausfürliche Deutsce Gr. von C. Becker.

Quocumque nos in rerum natura volumus convertere, res innumerabiles nostros feriunt sensus suique in animo imprimunt et quasi signant imagines, in quibus cum suis attributis substantiæ, ut re vera sunt, ita concretæ nobis atque coalitæ proponuntur. Hanc rerum imagines in animum recipiendi facultatem cum multis ceteris animantibus communem certe habemus. Sumus vero a natura cogitandi facultate instructi, qua inter substantias earumque attributa distinguentes, alteras ab alteris possumus abstrahere. Hinc factum est, ut in linguis, in quibus omnis cogitandi ratio sese patefacit, vocabula, quibus substantiæ exprimuntur, formam atque naturam sibi vindicaverint aliam, quam qua sese induerint voces, attributa quædam significantes. Ut vero in attributis a suis substantiis segregandis, ita in illis etiam cum his conjungendis vis illa cogitandi spectatur. Hinc exstat judicium, qui est is cogitandi actus, quo attributum aliquod cum substantia quadam conjungitur. Judicium vero, si est verbis expressum, vocamus enunciationem, cujus simplicissima forma est, in qua substantia et attributum i. e. subjectum et prædicatum una cum vocabulo alterum alteri conjungenti obveniunt ex. gr. *puer est diligens* vel quia *verba* in se ipsis copulam includunt *puer legit.* Quamvis vero subjectum et prædicatum ad se invicem illuminandum determinandumve valeant, quia notio quælibet ad alias quasdam plures habere potest relationes, simplicissimam illam enunciationis formam magis magisque licet amplificare, dum aut ad subjectum aut ad prædicatum aut ad utrumque illuminandum vel restringendum aliæ quædam accedunt notiones. Ut vero in rerum natura fit, ubi omnes fere res ad se attrahunt ea, quæ sibi ipsis sunt opposita, quæ vero similia, repellunt, ita in cogitando neque substantiæ ad substantias, neque ad attributa alia quædam, sed substantiæ et attributa ad se invicem attrahuntur. Si itaque desideratur, ut enunciationis cujusdam subjectum, quod substantivo vel alio quodam substantivi partes agente vocabulo exprimitur, accuratius, quam ipso prædicato factum fuerit, illustrandum sit aut determinandum, ad hoc adjectiva ac participia præcipue accommodantur et quibuscumque locis substantivum alio quodam substantivo definitum invenimus, iis non magnum habebit negotium comprobare, hoc posterius aut partes agere attributi, aut si casum quendam habeat obliquum, huic ipsi aliquod subjacere attributum, declarans, qua ratione utrumque ad se invicem referatur. Sic enunciatio illa, *puer legit*, hoc modo potest amplificari, *puer diligens legit; Augustus vicit* hoc modo, *Augustus imperator vicit; templum conflagravit*, ita, *templum Dianæ conflagravit.* Ex iis quæ jam supra allata sunt, facile intelligere licet, hanc attributi cum subjecto conjunctionem, scilicet *puer diligens*, in enunciationem illam, *puer est diligens*, posse dilatari et hanc iterum in aliam, *qui est diligens,* in qua omnino repræsentata est illa attributi cum subjecto conjunctio. Si notio quædam concreta subjectum enunciationis cujusdam efficit, per se patet, attributa, si cognita sint, ab ipsa substantia posse segregari et segregata

jam eidem impertiri. ex. gr. *homines moriuntur* = *illi ratione et sensibus instructi moriuntur.* Notionem abstractam, quippe quæ non nisi attributum substantiæ forma cogitatum exprimat, non esse tali dissolvendi rationi obnoxiam, per se clarum est atque dilucidum. Ipsa autem enunciationis formam recipere potest, ut *scriptio utilis est* = *quod scribitur, utile est,* et sic in ceteris.

Ut vero una ex parte substantiva subjectis exprimendis inserviunt, ita ex altera sunt verba et adjectiva eæ orationis partes, quas, quia attributa significant, suas ac proprias sibi vindicarunt prædicata, et si substantiva ut prædicata interdum adhibentur, ea partes gerunt adjectivorum. At, quod verba ipsis suis flectendi formis omnes temporis vicissitudines possunt exprimere, exinde nobis causa petenda esse videtur, cur ad hæc maximam partem sese attributa illa fugacia applicaverint, dum contra, quæ rebus sunt perpetuo infixa, ea sibi formam adjectivorum induerint. Prius attributorum genus, ut ex ipsa denominatione licet concludere, in motu quodam versatur, posterioris autem duæ sunt partes, quarum una in quiete est, in motu altera. Neque autem motus est, nisi forma, qua sensibus nostris sese omnis actio patefacit, neque quies, nisi notio motui opposita, quare verba atque adjectiva in duo genera, scilicet verba et adjectiva *actionis* et *non actionis* i. e. *status* abeunt. At motus, si quidem externus est, in loci mutatione cernitur, quare in omni motu illa exoritur quæstio, unde emanarit quorsumque dirigatur. Ad quod motus quidam tendit, id ejusdem objectum, ut ipsa vocabuli significatione indicatur, appellamus, ubi tamen hoc vocabulum sensu latiori adhibitum est. Significationis contra strictioris objectum id dicitur, quod in se motus cujusdam vim et efficaciam recipit. Hanc externum illum motum percipiendi rationem, in animi etiam actionibus cogitandis mutuamur, unde fit, ut de objectis animi etiam actionum dicatur. At sæpenumero evenit, ut tam angustis finibus motus circumscribatur, ut extra subjectum, in quo exstiterit, non sese extendat, nec ullum, in quod effundatur, habeat objectum. Ita motus est comparatus, quibuscumque in adjectivis aut verbis intransitivis, quæ vocantur, sese patefacit, quorum tamen nonnulla non, nisi ad aliam quandam rem relata sint, ullam perfectam exprimunt notionem. At verba transitiva suæ notionis complendæ gratia objectum, in quod suam effundant actionem, requirunt. Jam vero, ut ad propositum, a quo digredi paulisper coacti fuimus, revertamur, si verbum transitivum aut aliquod verbum intransitivum et adjectivum, quæ quidem nullam per se plenam contineant notionem, enunciationis cujusdam prædicatum efficit, necesse est, ut alia quædam notio accedat, quæ ut antea, quum de subjecto quærebatur, demonstravimus, ipsa amplius illuminari potest aut determinari. Potest itaque illa enunciatio, *puer diligens legit*, ita amplificari, *puer diligens legit librum latinum.* At omne judicium cum ex animo emanarit non, nisi animi actionum, potest esse objectum. Ad has ea verba ac nomina pertinent, quæ cognitionem quandam aut

appetitum aut etiam quæstionem exprimunt. Sin autem placet disquirere, quid differat inter rationem, qua verba et nomina cognoscendi cum suis objectis contineantur, eamque, quam illa appetitum significantia cum suis habeat, patebit, illa priora aliquam magis minusve certam cognitionem exprimere, cum substantia, aliquod attributum aut esse aut fuisse aut fore conjunctum, his autem inesse voluntatem, ut ejusmodi existat conjunctio. Quam qui optat, cum eandem jam factam esse animo finxerit necesse sit, clarum est, unde fiat, ut illa appetendi verba objectum habere possint notionem, quæ substantiam aliquam et attributum secum conjuncta amplectatur ex. gr. *cædem ejus desidero.* Eadem ratio est faciendi verborum, si quidem voluntatem quandam patefactam comprehendant, ut, *cædem ejus efficiam.* Quæ objecta si enunciationis recipiunt formam, ita sonant: *ut is cædatur,* desidero, *ut is cædatur,* efficiam. Quamvis cum ratione cogitandi prorsus conveniat, talia verborum cognoscendi objecta formam etiam sibi vindicare enunciationis, id tamen lingua latina, de qua nunc agitur, ægre admittens, illam accusativi cum infinitivo constructionem, quæ inter notionem et enunciationem quasi medium quoddam efficit, longe alteri præfert. Itaque enunciatio illa, *cædem ejus cognovi,* non bene hac transformatur ratione, *quod is occisus sit, cognovi,* sed ita latine, *eum occisum esse, cognovi.* Sin autem ejusmodi objecta ægre in enunciationes dilatantur, ea ex altera parte, quæ forma enunciationis quærendi gaudent, in notiones haud licet contrahere. In omni enim quæstione inest desiderium cognoscendi, num substantia et attributum ad se invicem aliquam habeant, habuerint vel habitura sint internam relationem, aut quænam notio cum alia sit conjungenda, ex. gr. *estne ille diligens, quis diligens est, qualis est ille.* Si ad primum exemplum attendimus, invenimus sane, eum, qui quærat, non sibi animo fingere, attributum illud *diligens* cum substantia *ille* conjunctum; alia enim evaderet cogitatio, si diceretur, *de tua diligentia quæro,* quippe in qua constructione verborum illud *te esse diligentem,* ut certum aliquod, ponatur. Duo cetera exempla si in examen vocantur, statim erit in aprico, notionem concretam eo minus posse exinde existere, quum in uno substantia, in altero attributum incognitum sit. Attamen hæ enunciationes nihilo minus cum suis prædicatis arctissime cohærent eorumque jure existimantur objecta. Sin vero una ex parte objecta, quæ ad notionem prædicati cujusdam complendam valeant, cum hoc intimo quodam nexu continentur, habent ex altera notiones, quæ localem quandam aut temporalem aut causalem aut etiam modalem determinationem contineant, externam tantum ad prædicatum aliquod relationem.

Tres sunt modi, quibus prædicatum aliquod, loci habita ratione, potest determinari, quorum singuli ad singulas illas quæstiones, *quo, unde* et *quorsum* respondent.

Est vero in aprico, prædicatum ideo tantum, quod cum subjecto conjunctum est, hoc vel illo loco prodiise dici posse, quippe quum omnis loci determinatio ad subjectum proprie pertineat. Sunt enim substantiæ *), non attributa, quæ in spatio i. e. partem quandam spatii circumscribentes animo nostro repræsentantur et si dicitur, *hic cecidit Hector*, id nihil aliud significat, nisi *hunc locum, quum caderet, Hector tenuit*. Locus, qui ad prædicatum quoddam determinandum valet, aut is est, quem loquens ille tenet, ut, *hic cecidit Hector*, aut alius quidam, ab hoc remotus. ex gr. *ibi sepultus est*. Hunc aut absolutum licet enunciare, ex. gr. *pugnatum est Trojæ*, aut ad alium quendam relatum, ut, *prope Trojam pugnatum est*. Ex his allatis intelligitur, substantias ad designandos locos, quos teneant, proponi, ut, *Trojæ pugnatum est* pro *loco, quo sita est Troja, pugnatum est* et sic in ceteris. Notiones autem abstractas, utpotæ quæ non locum quendam tenentes sese animo offerant, ad locum circumscribendum nequaquam valere, per se clarum est atque dilucidum. Antea vero jam demonstravimus, illas concretas notiones formam enunciationum ita tantummodo sibi posse vindicare, ut attributa, quæ contineant, a substantiis segregentur, et segregata in enunciationes abeant attributivas. Unde sequitur, enunciationes, in quas notiones locales possint transformari, solas esse attributivas, ex. gr. *erat domi = erat, ubi habitabat*.

Sed jam ad illas determinationes temporales nos volumus conferre. Tempus, quod nullam suam figuram speciemve sensibus nostris offert, ut lineam in infinitum progredientem effingimus, cujus ex attributis ad omnia temporis attributa concludimus, excepto tamen hoc, quod partes lineæ simul sunt, temporis autem partes semper se invicem alteram altera consequitur **). Cum vero tempus æque ac spatium sit continuum, circumscriptionibus tantummodo id licet partiri. At omnes actiones, sive sunt internæ sive externæ, in mutationibus versantur omnesque mutationes sese per tempus aliquod evolvunt, quare omnes actiones temporis quandam partem circumscribunt. Terræ vero per orbem ac circa axem conversiones, quæ perpetuo redintegrentur quæque singulæ certas quasdam et definitas temporis partes consumant, ad designanda temporum intervalla proprie sunt accommodatæ. Cum autem tempus, ut lineam quandam in infinitum progredientem, cogitemus, fixum sit aliquod hujus lineæ punctum, ad quod omnia, quæcumque ad tempus sint definienda, referantur. Non vero est per se tempus, nisi sensus interioris forma, qua ratio et ordo repræsentationum in statu nostro interno determinantur, unde fit, ut, quo quis temporis puncto hæc vel illa animo repræsentet, ad id, quippe quod cum ipsa sui conscientia datum sit, eadem referat et ut præterita, præ-

---

*) Confer Kant. Crit. d. r. V. pag. 30.

*) Kant. Crit. d. r. V. pag. 35.

sentia aut futura sibi proponat. Sin autem aliquid accuratius quoad tempus est definiendum, quam ut tantummodo indicetur, num ad præsens momentum relatum, præteritum sit, an præsens, an futurum, ad alias quasdam ejusdem ad hoc momentum relationis revocatur actiones, quas aut consecutum est aut antecessit aut cum quibus una in tempore fuit. Per se tamen patet, has actiones ideo tantum determinationem quandam temporalem continere, ut cognitum sit, quamnam ad certam aliquam terræ circa orbem ac axem conversionem habeant relationem i e. quantum ipsæ a præsenti momento distent. Ex. gr. *Ante transitum Rubiconis Cæsar ad senatum misit legatos. Solis occasu Pompejum cedentem sequi destitit. Post suum in curiam adventum interfectus est.* Quæ determinationes temporales, quia abstractæ sunt notiones, in enunciationes possunt abire, ut, *antequam Rubiconem transiret, dum sol occidit, postquam in curiam advenit.*

Quam ad se invicem relationem causa habet atque effectus, eam, quum sensibus haud excipi liceat, temporis illis ac spatii formis, quæ unicuique visioni tamquam fundamenta aliqua subjacent, linguæ subjecerunt. Sic causa partim ea depingitur, ex qua aliud quidquam emanet, partimque ea, quæ quoad tempus aliud quidquam consequatur. Quamquam vero causa effectum antecedat, necesse est, attamen, si effectus per tempus aliquod duret eique in unoquoque temporis momento causa quædam subjecta sit, hanc causæ ad effectum relationem temporalem haud secus exprimere licet, ac si in tempore una essent. Causæ et effectus ad se invicem relationes in maxima sane copia ac varietate versantur; cum vero a nostro proposito sit alienum, easdem ad ordinem quendam atque rationem redactas exhibere, satis sit indicasse, aut reales eas esse aut logicas aut etiam morales, ex. gr. *Incessit passu de vulnere tardo; ex lingua hæsitante concluditur, eum non esse nostratium; sunt, qui quod sentiunt, etiamsi optimum sit, tamen invidiæ metu non audent dicere.* Si abstracta quadam notione causa exprimitur in enunciationis formam potest dilatari, ideoque possunt notiones illæ causales, in his obvenientes enunciationibus, ita transformari, *quia vulnus acceperat; quum lingua hæsitet; quum invidiam metuant,* et sic in ceteris. Quamvis a cogitandi ratione non sit alienum, sola notione exprimi effectum, qui quantitatem aliquam aut qualitatem illustrandam valeat, in lingua tamen latina hic sibi semper enunciationis induit formam. Itaque græcum illud *τοσαυτα ἦσαν πλοία, ὥστε μὴ ἕνα καταλείψεσθαι,* ita latine redderetur, *tot erant naves, ut nemo relinquetur.* Ita etiam illud *τό κακόν μείζον, ἢ ὥστε φέρειν,* hoc modo verteretur, *malum majus est, quam quod ferre possimus.* Quamvis itaque non ostendere liceat, has enunciationes esse notiones, formam enunciationis assecutas, ex iis, quæ allata sunt, intelligitur, eandem, ac illas, habere naturam.